

**Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Historia Zaringo Badensis**

**Schöpflin, Johann Daniel**

**Carolsruhae, 1763**

Egino Junior

[urn:nbn:de:bsz:31-295084](#)

## EGINO JUNIOR.

## §. V.

**R**edimus ad Eginonem juniores, primum Friburgi Comitem, cui consanguineo suo, *Eguenoni Comiti de Hura*, ob fratrem ejus, ut vidimus, Conradum Fridericus II. Imper. A. 1226. seditione, quae foverat, condonavit confilia, pacemque cum Henrico, Rege Rom. Spiræ factam, auctoritate sua stabilivit; suadens hortansque vehementer, ut decretum in Terram Sanctam iter bene præparatus fusciperet.

Friburgi  
Comes.

*comes Egino Junior de Urach & dominus de Friburg* prædium in Algiswilre & apud Oberkilche agros ac silvas, quas Guta de Reinchem & Henricus quidam miles tenuerant, monasterio Omnium Sanctorum Nigræ Silvæ donavit. Charta donationis notis chronologicis destituta (o) A. 1229. data videtur, quo Bertoldus, Episc. Argent. aliam Gutæ de Reinichen donationem, eidem Monasterio factam, confirmavit. (p)

A. 1229. Constantiensis Episcopus confirmat sententiam ab *E. juniori Comite de Urach latam*, in controversia inter Monasterium

F f 2

(o) Extat apud SCHANNAT. *Vindem. Liter. Collect. I.* pag. 150.

(p) Ibidem pag. 143.

S. Blasii & Henricum militem de Gepingen, super jure patronatus ecclesiæ in Utinvilare. (q)

An. 1230. Henricus Rom. Rex *Comiti Egenoni de Friburc* quod Judæos apud Friburc captivaverat, omnem rancorem & indignationem remittit. Literæ datae apud Brisacum Idibus Augusti.

Prima heic Comitis Friburc mentio, cum antea *Comes de Urach*, *Dominus de Friburc* diceretur Friburgi possessor. At sub Egenonis filio demum & successore Conrado titulus *Comitis Friburg.* compendii causa omnino invaluit.

### §. VI.

Acta ab  
A. 1230.

An. 1230. Egeno Comes a partibus Ulrici Comitis Phirret. contra Bertholdum de Teck, Episcopum Argent. stabat, quod dissidium per Henricum Rom. Regem compositum. (r)

An. 1234. XV. Cal. Mart. Henricus Rex Rom. de argenti-fodinis & custodia silvarum Brisgoviae contra Hermannum, Marchionem Badensem, qui illis inhiaverat, pro Ecclesia Basiliensi & *Eginone Comite de Friburc*, Ecclesiæ hujus vasallo, in Curia Francofurt. sententiam pronuntiavit. Sed & idem Henricus Rex paulo post Egræ Comitem *Egenonem de Friburc* &

(q) HERRG. Genealog. Habsb. T. II. pag. 237.

(r) URSTISII Chron. Basil. pag. 120. seq.

*de Urach* „ de fluminibus Renschental , Wisen , Brigen , Kinzechen „ usque Gengenbach & nominatim Milenbach , Elzach , Treysonia , „ Brega & Danubio usque ad Ymmendingen cum universis rivis , „ qui predictis fluminibus recipiuntur „ investit , ut quicquid in iis , sive in montanis adjacentibus auri vel argenti invenerit , jure feodali in suam converteret utilitatem . Privilegium hoc Conradus Comes Friburg. A. 1387. cum Rudolfo Marchione , affine suo , communicavit .

Eodem anno 1134 *Egeno Dei gratia Comes de Urach & Dom. in Friburc* cum uxore sua Adelheide monasterio Tennebacensi vites donavit . Actum in Castro Friburc.

### §. VII.

**E**geno hic An. 1236. arcem supra Friburgum , in inferiore montis parte , construxit , ad continendam in obsequio urbem . (s) Castrum hoc perpetuus deinde inter Comites & Cives turbarum fomes evasit .

Egeno II. eodem , quo castrum construxit , anno decepsit ; cum conjuge sua Adelhaide in monasterio Tennebacensi sepultus . (t)

F f 3

(s) GEORG. KIEFFER , Academiæ Friburg. Juris Antecessor , in Dissert. de *Habsburgo-Austriaca Domo* , A. 1671. edita Friburgi 8vo. Auctor hic ex duobus Egenonibus , patre & filio , nonnisi unum constituit .

(t) KIEFFERUS lib. alleg.

Uxor &  
liberi.

Hic ex Adelheide (u) quatuor filios reliquit, Conradum, Bertoldum, Henricum & Godofredum, qui mortuo patre A. 1237. cum matre sua *Adelheide D. G. Comitissa de Friburc* jus census, quod in area curiae monasterii Tennebacensis prope Friburgum habebant, dimiserunt ex manibus. Actum in Ecclesia de Friburc. (x)

Iudem quatuor Comitis Eginonis de Urach filii cum matre sua recensentur in alia Charta Tennebacensi, qua progenitorem suam, in grangia Monasterii hujus, in suburbio Castrum Friburgi, capellam exstruxisse, seque censem XII. solidorum eidem Monasterio donasse perscribunt.

Conradus patri successit Friburgi. De fatis Bertoldi silent Annales. Inter Ecclesiæ Constant. Canonicos A. 1275. ut mox videbimus, comparet Gotfridus. Henricum autem familiæ Fürstenberg. conditorem novimus.

### §. VIII.

Comitum  
Fürstenb.  
origo.

*Hainricus Comes de Urach, Dominus in Fürstenberg* consensu Comitis Gotfridi fratris sui, Canonici Constant. Ecclesiæ, curiam apud capellam S. Nicolai vendidit An. 1270.

(u) *Chron. Friburg.* a SCHILTERO edit. pag. 24. eam vocat Adelheidem Comitissam de Niffen.

(x) Infrum. Tennebac.

*Henricus Comes de Vurstenberc A. 1275. pro se & Godefrido, fratre suo, Canonico Constant. nec non Cunradi quondam fratribus, Comitis de Friburch, filiis, Eginone & Henrico, transigit cum monasterio Omnium Sanctorum, super curiam inferiorem in Nuspach & jus patronatus ecclesiæ ibidem, Monasterio huic à quondam matre ipsius Comitis, tunc in minoribus annis constituti, vendita. Transactionem Egino & Henricus Comites de Friburch ratam habuerunt, Henricum Comitem de Vurstenberc in eodem Instrumento patrum suum nuncupantes. (y)*

In aliis ejusdem anni literis Henricus miles de Wilre & Erkenboldus, filius ejus, dictus Mulner, eidem monasterio Omn. SS. redditus ex officio sculteti in Kore vendidit, quos ab Illustr. Dom. H. Comite de Furstenberc ac ipsius cohæredibus, Egenone & Heinrico, Comitibus de Friburc, in feudum tenuerat. (z) Communem hanc suæ stirpis originem Furstenbergæ & Friburgi Comites seculo etiam sequente professi sunt.

Egeno Comes de Frybure & Conradus Comes de Furstenberg literis A. 1365. datis diserte profitentur, Ecclesiam parochialem villæ Nuspach cum omnibus suis capellis & jure patronatus progenitores suos Omnium SS. donasse monasterio. (a)

(y) Instrumentum hoc edidit SCHANNAT. *Vindem. Liter. Collect. I. pag. 146.*

(z) SCHANNAT. I. c. pag. 148.

(a) Transumptum harum aliarumque hujus Monasterii chartarum in senatu Argent. factum An. 1529.

Rudolfus I. Imperator A. 1289. Conradum de Friburg & H. de Furstenberg Comites suos avunculos vocat. (b)

### §. IX.

Aliorum  
errores.

**A**LBERTUS ARGENTINENSIS (c) hoc in arguento dupliciter peccavit. Furstenbergenium auctorem non Henricum, sed *Egenonem* appellat, eumque filium non *Egenonis*, Comitis Friburg. sed patris ejus, Comitis de Urach, constituit.

**BUCELINUS** (d) Henricum quandam nominat Furstenbergæ Comitem, sed Albertum Argentinensem in reliquis fecutus, *Egenoni* Uracensi, Agnetis Zaringensis marito, filium eum tribuit, quem nos constituimus nepotem, adeoque fratrem *Egenonis*, Friburgi Comitis, facit, cuius Henricus dicendus est proles. Nec **SPENERUS** (e) in Genealogia hac adornanda sincerus est. At longius a veritate aberrat. **HUBNERUS**, (f) secundum quem Henricus ille Furstenbergicus patrem habuit Bertholdum, *Egenonis* Uracensis, Bertoldi V. Zaring. affinis, patruellem.

CONRA-

(b) *Carlsruher Samml.* pag. 82.

(c) *Chron.* pag. 99.

(d) *Germania Stemmatograph.* Tom. IV. pag. 88. sq.

(e) *Oper. Herald.* Part. Spec. Lib. III. Cap. XIX.

(f) *Genealog. Tabular.* Tom. I. Tab. 266.